



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Franciæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



# PROVINCIA FRANCIÆ.

**E**GERVNT in duobus Collegijs Socij  
centum ferè & sedecim. Viriduni quidem  
(vbi Collegio copulata est Probationis  
domus) vnus & triginta. Ex his Sacerdo-  
tes decem & sex; hos inter erudiendæ iu-  
uentutis curam gerunt quatuor. In tyro-  
cinijs ædibus quinque numerantur. Ex cæteris Magistri  
duo. In rei domesticæ opere occupati seni Tyrones, & his  
ad tertium probationis annum adiuncti, præter quinos  
illos, omnino septem. Mussipontum autem quinque &  
octoginta frequentant: Sacerdotes octo supra triginta.  
Ex horum ordine Præceptores septem, eiusdem docendi  
muneris professores alij sex. Scholastici quindecim. Rei  
familiaris adiutores 26. Excesserunt è vita quatuor: ad  
Societatem accesserunt sex.

COL-

## C O L L E G I U M M V S S I P O N T A N U M.

**N**ITIVM à Scholis, quibus exitit Gymna-  
sij ortus, capiam. Numerati auditores totius  
propemodum anni curriculo milleni. Vsitato  
apparatiorem Ducis Lotharingæ in Acade-  
miam suam aduentum (qui familiaris cuiusdam con-  
gratulationis ergo susceptus erat) haud illaudato dra-  
mate epulatois Evangelici parabola celebravimus.  
Princeps quoque Illustrissimus Dux Mantuæ cum hac  
iter faceret, literarias hasce palestras magna beneuolen-  
tiæ significatione coram cohonestans, vario carmine  
commendatus est. Sub autumnum vero Serenissimus  
Archidux Albertus, dum Belgium suum vna cum Regia  
coniuge repetit, diuertit Mussipontum; atque à nostris  
superioribus aditus, & officiosissime est salutatus. Reci-  
tatum præterea multiplex epigramma à lectis adole-  
scentibus. Coniugum uterque gratis animis id officij ac-  
cepit, & nonnulla perhumanè percontatus; nonnulla in-  
super in Societatis laudem de Nostrorum ubique ferme  
gentium, de hominibus benemerendi alacritate indu-  
striaque commemoravit. Instaurazione studiorum datus  
in theatrum Saul furens; alio verò die solemnis præ-  
miorum facta distributio: eaque nouo, neque dum usur-  
pato genere celebritatis, munificentia generosissimi Co-  
mitis à Salmis, vrbi principi Præfecti. Cætera Scholasti-  
ci instituti ratio cursum suum tenuit.

A diurnæ inualetudinis acerba molestia ad vitam  
statum, uti speramus, suauiore decessit P. Bernardus  
Rollietus, patria Gallo-Burgundus, annos natus vnum  
& quin

& quinquaginta è quibus in Societate 35. traduxit: in qua annos 12. docuit Grammaticam. Post in concionatorio plurimum munere versatus est ad 17. annos, reliquos autem lectulo, aut sedili affixum arthritis habuit, quæ demum paucis ante annis in Coadiutorum formarum tabulas reiatum vita exegit. Vñus illi fuit homines ab sinceræ fidei institutis aliena sentientes, horumque studiosos grauius semper insectari; & auitæ religionis sanctimoniam qua vrbis concionibus, qua missionibus ad exteros, qua confitentium tractatione etiam capitis periculo, vel vacillantem firmare, vel integram tueri, atque roborare, concionabundus diuertit aliquando in oppidulum, vbi Calvinistarum potentia oppressi Catholici vix dimidiata libertate ad statas sacrorum coeremonias utebantur. Tum fortè in ædem sacrâ mortuus, cui iusta soluebantur inferitur: sed cum ad communium sepulchrorum aliquanto interuallo disita septa efferre funebri pompa vim metuens parochus non auderet, id Noster confirmatis adstantium animis aggreditur, crucem more maiorum ipse antefert, agmen linæatus ducit, exequijsque celebratis facto illo perfidorum temeritati animi magnitudine obsistendum, vel vitæ discrimine esse docuit. Omitto eundem alibi insidijs istius farinæ hominum de via interceptum, & rapidè in deuium, atque abiunctum nemus cum socio ceu pecudem abactum; quando indigenæ cuiusdam Catholici indicio è vicinis locis orthodoxi cateruatim conuolantes vtrumque, Deo sic volente, in libertatem asseruerunt. Dicerem Lutetiam ab eodem salute corporis neglecta proluxa charitatis erga ægros officijs subleuatam tum, cum anno 1580. lues latè vrbem omnium frequentissimam depopulans vias, & compita tristi solitudine squalentia gramine conuestiuit. Adderè de Sodalitate ex iuuentutis iurisprudentiæ studijs addictæ flore constituta, so

ra, sodalitijque habendi eadē non leui piorum stipe comparata, qua ætatem illam morum cateroqui licentia facile diffluentem, in Christianæ normæ gyrum mirifico Biturigum fructu reuocauit, & quod licuit, educauit. Sed instat alterius obitus commemoratio. Fuit is P. Guilielmus Curtius Belga Cameracensis, mortuus annos natus quadraginta tres, Societatis institutum tenuit tredecim, quibus alijs, atque alijs obedientiæ functionibus adhibitus fuit. Publici carceris situm, pædorem, tenebras, ad quæ molestæ febris labor accesserat, ad octo dies summo hyemis rigore moderatè pertulit; eò coniectus maleuola quorundam domestici contubernij adolescentium, ac falsa obtrectatione apud eos, qui in nostrum nomen quasi in Regni pestes acerbius inquirebāt. Tandem verò in grauissimis supremi morbi doloribus, non tantum vsitata modestiæ, verumetiam magno patientiæ, tranquillæque conscientiæ documentum edidit. Tertio ex ijs, qui de Nostris inter homines agere desierunt, Stephano Alexio nomen fuit Gallo Augensi, cum annum ætatis 37. colligeret, aggregationis verò ad Societatem quartum decimum. Doctrinæ puerilis magistrum egit annis plus minus quinque; deinde ad conscientiæ regendæ disciplinam est applicatus. Tenuis eum valetudo quo minus plura in rem proximi pro ingenij talento præstaret, tenuit: Hominem alioqui simplicitatis, atque innocentæ nota commendatum.

Conuertor ad fructus, qui potissimum in proximorum animos, à Nostrorum laboribus, industriaque deriuati sunt. Auctior hoc insuper anno facta est apud nos, & in pagis sacramenta percipientium multitudo, partim concionum, noua commendatione; partim Catechismi ætati teneræ, ac plebeculæ inculcandi modulata celebritate, ac pompa; partim maiore quàm antea operarum in vicina oppida, & loca spiritualis culturæ ergo indictis ferijs,

ferijs, emissarum numero, qui numerus dominicis, ac festis crebrò recursum interfluentibus diebus ad duodecim accedit: celebrioribus autem, & augustioribus facris ad viginti, interdumque ad triginta excrescit. Piaculares atatis vniuersæ confessiones exceptæ à nostrorum Sacerdotum compluribus magno sanè, sed haud subducto numero; quasdam mirifica vitæ, ac morum mutatio est subsecuta. Perniciosus videlicet, quæ satis forent, proloquendi pudor quosdam in aperto salutis discrimine hæsitantes, & malè contabundos viginti & triginta & amplius annis distinuerat. Experientia autem compertum est id concionandi genus præcipuas utilitates animis afferre audientium, in quo de accurata excutiendæ ad pœnitentiam conscientiæ, deque vera & absoluta scelerum omnium enumeratione, apud talium rerum incuriosos, aut rudes instituitur oratio. Fuit qui concionatorem nostrum exscensione è pulpito facta, palam obtestaretur, vti se de omni superiore vita confesurum audire ne grauaretur. Paganam etiam messem auxit Socij adiutoris vix literati zelus, & industria, qui ternarum familiarum capita Patris laboribus familiari cohortatione adiunxit. Alius eiusdem notæ Socius, alibi priuati similiter laboris administer rudiores animos ad recordationem, planamque suorum peccatorum explanationem rudi, qua potuit, sed vtili methodo, Socij Patris admonitu præparauit. Nonnullorum audito de condonandis iniurijs nostro concionante, soluta inimicitia. Reconciliata viro vxor dissidens. Aliorum multorum prauis, & inueteratis odijs dissentienti restituti in concordiam animi. Incubebat inter cæteros infesto animo vir, opibus & honoribus pollens in plebeij opificis perniciem, à quo se grauiter læsum querebatur. Effectum per Nostrum est, vt ille non tam potentia, quam humanitatis memor offensionem omnem funditus remitteret.

teret. Grauioris quoque exarserat iracundię flamma alios inter duos, quorum alter nobilitate, alter magistratu florebat, in huius odij communionem multi, quos vel propinquitatis, vel necessitudinis iura deuinxerant vocabantur; adeo vt multarum familiarum labes, & ruina metneretur. Adhibiti ad conciliandos inter se animos tum e sacro, tum e populari ordine homines primarij. Verum eousque in dies inimicitiarum ingrauescebat acerbitas, vt etiam iterati conatus in nihilum euanescerent. Res denique per eundem illum e Nostris tentata felices opitulante Deo habuit exitus. A muliere qua superstitiosis quibusdam ritibus, & precularum formulis, quas agris anili deliramento immurmurabat, morbos a credula plebecula afflicti corporibus pellere credebatur. A credendi quoque falsitate ad sanae fidei veritatem reducti, & recepti quinque. Et haereticus homo qui clandestinis colloctionibus pagum pestiferi erroris opinione imbuebat auctoribus Nostris solu vertere publica Iudicis sententia compulsus. Iniqui aeris restitutiones factae, & ex his vna aureorum centenum: quae his locis non leuis aestimatur summa. Alius animi restituens religione delectatus pecuniam non exiguam eidem vitro remisit. Aeris foenebris publica factitatio locis nonnullis impedita; quae se auctoritate legis semisses viuras ita duntaxat tolerantis, vt maiores vetet, tuebatur. Ab infamia pellicatus in quo annos iam multos lutulentum imputrescebant, duo ad tutiora etatis redimende consilia Nostrorum hortatu animum adiunxerunt, pellicibus ab se in perpetuum amandatis. Idem & tertius praestitit, sacrilego complurium annorum concubinato maculosus. Binorum Sacerdotiorum quae profani questus partitione fuerant quaesita abdicatio voluntaria facta est. Ad sacrae suppellectilis amplificationem accepta elemosina, quae centum aureorum summam equare possent.

Plerique

Plerique priuatis Nostrorum colloquijs à profligata  
 mentis instituto ad ineundam vitæ sempiternæ viam  
 conuerfi. Viro primæ nobilitatis Societatis amantissimo  
 assiduus adstitit grauissimè ægrôtanti Pater è Nostris; is,  
 cuius fide ad animæ rationes plurimum vti solebat, hûc  
 Patrem laborum, peruigilationumq; nocturnarum assi-  
 duitate fractum morbus anceps, & diuturnus inuadit, in  
 quo id quasi pro ostento est habitum, quòd cum perpe-  
 tua infomnia totos sedecim dies laborasset, nullam ta-  
 men ideo de statu sanæ mentis detrimenti partem pas-  
 sus fuerit. Religioni erga Cœlites nonnihil etiam facto  
 mirabili quod adijciam accessit. Dominico natali cum  
 Pater è Nostris pro concione pagum quo missus erat, ad  
 Pœnitentiæ, synaxeosque sacramenta (quorum vsus ante  
 tempus per eos dies vix illic vsus fuerat) prope vniuer-  
 sum perpulisset: vir quidam id vnâ cum grauida coniu-  
 ge per incuriam facere prætermisit. Illa tertijs natali-  
 tijs partus doloribus oppressa, foetum vitæ ac sensus ex-  
 pertem egerit. Huius abortionis calamitate vir attoni-  
 tus confestim ad Nostrum, qui aliò concionabundus ex-  
 currerat, aduolat; casum cum gemitu exposuit, ecquid  
 opis, consilijque sit vehementer flagitat. Noster num-  
 quas animi vitio eius infortunij causas dederit familiari-  
 ter hominem interrogat; ab eodem consultam maleficâ,  
 quæ homines certis carminibus fortunare iactabatur  
 comperit, & tanti piaculi expiationem confitendi præ-  
 termissione neglectam, facti indignitatem vti par erat  
 exaggerat. Agnoscere infelix facinus, & quid opus facto  
 ad partus salutem instando postulare ne parentum vitio  
 infantule anima baptismi expers æternis bonis æternum  
 priuetur. Hic suam, atque hominis in Deum fidem exci-  
 tare similium casuum recordatione aggressus, consilium  
 dat vti terna sacra SS. Trinitatis numini, & S. Nicolai  
 gratulationi ( cuius in Lotharingia ob præsentis auxiliij  
 vim,



vim, ac miraculorum crebritatem præcipua est religio-  
 nis celebritas) cereumque infantis sigillum verbis conce-  
 ptis voueat, simulque quater quotannis vnâ cum vxor  
 se confessionis, communionisque mysterijs animum co-  
 muniturum, si vita tantisper dum Christiano ritu initi-  
 retur mortuæ filiæ redderetur. Hæc se ille alacriter fa-  
 cturum spondet. Deinde eidem confessus domum spe-  
 ac fiducia plenus recurrit. Votum præsentis parochi  
 palam nuncupat: tum ædes suas iniens exanimum foetum  
 ad focum iacentem adit, corollam precatoriam quam  
 religiosus Reliquiarum Romæ contactus sacrauerat à  
 Nostro acceptam, capiti imponit, & supplex vnâ cum  
 circumstantium corona hominum circiter viginti dat se  
 se in preces. Mira narratur res: cadauer è plumbeo colo-  
 re vitalem induit; alterum oculum semel atque iterum,  
 & aded tertio, quartoque aperit, clauditque, ac totum  
 se variè, conspicueque corpus commouet; nouitate ostē-  
 ti exclamantibus gratulantibusque cunctis. E vestigio  
 aqua ritè superfusa ibidem infantula Christo regenera-  
 tur, atque ad horæ quadrantem vitæ huius vsuram, ab  
 ipsis æterni mali faucibus retracta cœpit: tum ad vitæ  
 melioris æternum fructum (quæ diuinæ beneficentiæ  
 magnitudo est) meliore fato transijt, quod eodem re-  
 uersus Noster proborum, grauiorumque virorum occu-  
 lata fide; & ecclesiastica corpusculi in patrium sepulchrū  
 illatione cognitum, pro explorato ad nos retulit.

VIRDVNENSE  
COLLEGIVM.

**D**IEM suum obiit vnus, Pater Nicolaus Bellifilus propè centenarius, vir mitis, & humilis, cuius in vultu, & cōsuetudine comitas eminebat ea, quæ quemuis facilè capere posset. In tam graui ætate passus est omninò neminem, à quo ad languescentis naturæ onera iuuaretur, nisi in extrema sex mensium ægritudine. Vixit in Societate à temporibus P. Paschasij Broëti annos circiter quadraginta septem. Excessit è vita vir equidem antiquæ probitatis, & innocentia ipso sanctorum Innocentium festo die, accepta prius ab Illustrissimo Episcopo benedictione. Funere tandem præsentia Principis, optimatum Vrbs, populiq̃ue corona celebri est cohonestatus. Aetate quoad tulère vires tum concionibus, tum domesticorum, externorumq̃ue audiendis confessionibus formatus Coadiutor transegit. Confessionis sacramento totius antea actæ vitæ sordes eluère centum, cibo pasti recreatiq̃ue cœlesti decies & quinquies mille. Magno cum interioris gaudij sensu vigilantissimus Antistes nostro in tēplo primùm sacris operatus, octingentis prope sacram Synaxim impertiuit. Pij hoc anno tres & viginti meditationibus fuère apud nos exculti, inter quos præcipuus extitit Illustrissimus Princeps, extremo fermè verni ieiunij tempore, propediem Deo sacerdotij sui primitias libaturus; vt toto anno satis frequens ad diuini verbi præconem aduentantium numerus; sic Nostrorum non mediocri cum ad iuuandos miseros custodij, carceribusq̃ue vinctos, tum ad eos; qui ob publica crimina capite damnati; aut qui

morbo afflictati moriuntur, fructus. At vberimus eorum præcipuè qui vrbana iuuentutem Christianæ doctrinæ imbuerunt rudimentis, & qui rusticana municipia, villas, pagos collustrando vna cum parentibus teneros infantium animos fidei mysterijs informarunt. Nam plurimi aliquando, etiam tota virorum, mulierum que caterua nuptijs vario tripudiorum, & chorearum genere celebrandis intenta, cum ipso citharedo ad modum antespueros Christianorum mysteria, sese festiuè aggregarunt. Nonnulli eiurata hæresi ad Ecclesiæ, fideiumque castra redierunt. Vir nobilis iamdudum ineterato focrum suâ persequebatur odio, & implacabili; ita enim eius auersabatur conspectum, vt neque in lethali morbo obfirmatum in malo animum, socrus ipsa pacem, veniamque omni cum animi demissione deprecata, flecteret ad misericordiam. Accitus demùm ab vxore animi pendente vehementer, sacerdos vnus è Nostris difficili tempore (nam ad multam noctem recrudescente tum morbo in villam rusticam fuit properandum) moribundum impendentium æternarum poenarum obiectu hinc & illinc versans, ante mortem ad ponenda odia, focrumque benignissimè complectendam pertraxit. E Belgio reuertebat æger Italus expuncto è manipulo miles, in re tenuissima adeo, vt nec Rustici, nec Opiliones ipsi deficienti homini auxilio esse vellent: Nostris Sacerdotis ope, corrogata hinc & inde per eleemosynam pecuniola, tantillum refocillatus, totius vitæ delicta salutari confessione expiauit; & piorum largitionibus sepe litura fidelium catholico ritu est donatus. Contigit aliquando, vt fermocinanti nostro Sacerdoti familiariter de rebus diuinis cum alijs viæ comitibus plurimis (tum enim veniebat peregrè) se Curio quidam, qui Nostris fuerat vsus olim præceptoribus itineris eiusdem alterum comitem adiungeret, nec incassum: eam enim vocem virtutis Sacerdoti suo

suo

fuò dedit Deus, quæ Curionis cor ita pulsaret, vt vitæ totius annos in amaritudine animæ suæ recogitans, ex templo paululum cum nostro Sacerdote ab aliorum comitum cœtu diuisus Sacramentalis absolutionis beneficium emanantibus vbertim lachrymis sit consecutus.

IN urbem præfidiarij militis Galli aduentus, & creber in ædes nostras ingressus nobis præsidio præter multorum opinionem futurus venisse videtur. Duces ipsi in Paschate cum suis militibus apud Sacerdotes nostros suarum maculas animarum posuerunt; vno etiam eorum apud nos dies aliquot, ad plurium annorum recolenda peccata diuertente. Pergit in nobis amandis, & fouendis magis bonus Princeps; vt pergat in Dei cultu, & amore virtutum omnium: vt eû odoré in suos effûdat sui: quæ Principû Rector ab ijs qui benè præsumt expectat suauissimû. Quo die debacchabantur cæteri, partim cû sodalibus Parthenijs in congregatione, partim cû Nostris magna cum animi voluptate totum diem egit. Antiquæ disciplinæ vigorem postliminio cœnobitis suis Benedictinis, quos habet in Vrbe, restituit. Quo in negotio præstantissimo certè, iuxtaque difficillimo duo e Sacerdotibus nostris cum in excipiendis quaque hebdomade cœnobarum confessionibus, tum in habendis ad eisdem quot hebdomadis exhortationibus se benè suam collocasse operam putauerunt. Scholæ nostræ hoc anno auditores numerarunt quadringentos.